The Digital *Liber exceptionum* Project (https://exceptiones-project.wlu.ca)

Augustinus de academicis (fol.1va)

1. Non paruum in philosophia profectum puto cum in comparatione recti uerique inueniendi. contempnitur a disputante uictoria.

   Et Licentius: Non paruum in philosophia profectum puto, inquit, cum in comparatione recti uerique inueniendi contemnitur a disputante uictoria.

   Augustinus Hipponensis, *Contra academicos*, 1.3 (CCSL 29, W.M. Green ed., p.6, ll.34-37).

2. Illa est humanarum rerum scientia que nouit lumen prudentie temperantie decus. fortitudinis robur. iusticie sanctitatem.

   Illa est humanarum rerum scientia, quae nouit lumen prudentiae, temperantiae decus, fortitudinis robur, iustitiae sanctitatem.

   Augustinus Hipponensis, *Contra academicos*, 1.7 (CCSL 29, W.M. Green ed., p.14, ll.24-26).

3. Turpe est disputantibus. in uerborum questione immorari. cum certamen nullum de rebus remanserit.

   Nam saepe abs te audiui turpe esse disputantibus in uerborum quaestione immorari, cum certamen nullum de rebus remanserit.

   Augustinus Hipponensis, *Contra academicos*, 2.11 (CCSL 29, W.M. Green ed., p.32, ll.17-19).

4. Amicicia rectissime atque sanctissime diffinita est rerum humanarum et diuinarum. cum beniuolentia et caritate consensio.

   Mecum enim familiarissimus amicus meus non solum de probabilitate humanae uitae uerum etiam de ipsa religione concordat, quod est ueri amici manifestissimum indicium, si quidem amicitia rectissime atque sanctissime definita est *rerum humanarum et diuinarum cum beneuolentia et caritate consensio*.

   Augustinus Hipponensis, *Contra academicos*, 3.6 (CCSL 29, W.M. Green ed., p.42, ll.18-23). cf. Cicero, *Lael*. 20.

5. Docuit me dyaletica. cum de re constat propter quam uerba dicuntur. de uerbis nec debere contendi. et quisquis id facit. si imperitia faciat docendum esse. si malicia deserendum.

   Docuit etiam me, cum de re constat, propter quam uerba dicuntur, de uerbis non debere contendi, et quisquis id faciat, si imperitia faciat, docendum esse, si malitia, deserendum, si doceri non potest, monendum, ut aliquid aliud potius agat, quam tempus in superfluis operamque consumat, si non obtemperat, neglegendum.

   Augustinus Hipponensis, *Contra academicos*, 3.13 (CCSL 29, W.M. Green ed., p.52, ll.23-28).

6. Nulli dubium est gemino pondere nos impelli ad discendum auctoritatis atque rationis. Michi ergo certum est nusquam prorsus a christi auctoritate discedere. Non enim repperio ualentiorem.

   Nulli autem dubium est gemino pondere nos impelli ad discendum auctoritatis atque rationis. Mihi ergo certum est nusquam prorsus a Christi auctoritate discedere; non enim reperio ualentiorem.

   Augustinus Hipponensis, *Contra academicos*, 3.20 (CCSL 29, W.M. Green ed., pp.60-1, ll.16-19).